

tionem, inundationes, aut alia gravia pericula viarum, mortem parentum, defectus rerum necessariarum ad iter, bellum, causam reipublicæ, violentam detentionem, etc.

4. *Impeditus intra annum suscipere sacerdotium, non perdit parochiam.* — Declaratur regula exemplis juris per Gloss. adductis hic; sic enim licet non sacerdos ad ecclesiam parochialem promotus intra annum sub pœna amissionis parochiæ adeptæ suscipere teneatur ordinem sacerdotalem; c. 35, de *Elect.* in 6, tamen ab hac pœna immunis est, si sufficienter probat, se legitime fuisse impeditum v. g. propter absentiam, suspensionem, aut gravem morbum episcopi ordinem prælato anno conferre non valentis, cit. c. *Commissa*, 35, de *Elect.* in 6, ibi: « Annus autem hujusmodi tibi non currit, si promoveri justo impedimento detentus intra tempus hujusmodi nequivisti. »

5. *Stante impedimento non censetur appellatio deserta.* — Sic etiam licet, si quis a sententia appellat, appellationem intra annum prosecui teneatur c. *Cum sit*, 5, de *Appellat.* tamen in præjudicium illius non censetur appellatio deserta, si impedimentum intra annum id faciendi per se pateat, aut probeatur c. *Ex ratione*, 8, de *Appellat.* ibi: « Dummodo prosecutionem ipsius per impotentiam vos constiterit omisisse. »

6. *Canonici intra tres menses eligere impediti non privantur jure eligendi.* — Sic pariter quamvis sub pœna devolutionis electio fieri debeat intra tres menses c. *Ne pro defectu*, 41, de *Elect.* tamen etiam post tres eligere adhuc possunt canonici, si impedimentum intra tres menses eligendi sufficienter probant. cit. c. *Ne pro defectu*, ibi: « Intra quos, scilicet, tres menses (justo impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice. »

7. *Clerici ægroti non præstantes officium tamen percipiunt fructus.* — Sic rursus licet beneficium detur propter officium seu sacrum ministerium, et hoc beneficiatus præstare teneatur c. fin. de *Rescript.* in 6, tamen beneficium et fructus illius non perdit, si infirmitate impeditus incumbens alias debitum sacrum ministerium non peragit c. 1, de *Clerico ægrot.*

8. *Sicut etiam integrum salarium annuum, laborare impediti consilarii, officiales, advocati, etc.* — Sic ulterius de annuis salariis nil detrahi potest, sed integra debentur consi-

liariis, officialibus, advocatis; et si illa in antecessum jam acceperunt, nil amplius restituere tenentur dicti consilarii, advocati, etc., quamvis nil operentur et laborent, si per eos non stat, quominus operas et labores alias incumbentes peragant v. g. si professor publicus tempore belli vel pestis non docet, consilarii consilia non frequentant, officiales nil laborant: vel si advocati ex defectu litigiosæ causæ nullum officium exhibent. Gail. lib. 1, observ. 44, n. 12. Strein hic. n. 1, arg. l. fin. C. de *Cond. causa data*, et textu satis claro l. *Qui operas*, 38, ff. *Locati*, ibi: « Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operas præstet. Advocati quoque, si per eos non steterit, quominus causam agant, honoraria reddere non debent. » Juncta l. 1, § *Divus Severus*, 13, ff. de *Extraord. cognit.* ibi: « Divus Severus ab hæredibus advocati, mortuo eo, prohibuit, mercedem repeti: quia per eum non steterat, quominus causam ageret. »

9. *Nisi aliter tacite vel expresse sit conventum.* — Quam tamen doctrinam præcedentis numeri merito cum aliis, limitat Gail, si expressa vel tacita adsit conventio de dando salario aut mercede, quando et quandiu operas vel labores conductus quis præstat. Adesse autem censetur tacita hujusmodi conventio ibi, ubi ita habetur patriæ consuetudo, qualis saltem in his partibus viget videtur respectu operariorum diurnorum, fabricorum lignariorum, aliorumque artificum, utpote quibus non laborantibus nil datur, vel non nisi tantum, quantum laborant, etiamsi absque omni sua culpa legitime impediti existant, sicque per eos non stet, quominus operas et labores præstent; quod idem de famulis et famulabus domesticis diu ægrostantibus passim observari videmus, docetque de his ultioni. Covarr. lib. III, *Var. resolut.* cap. XIII, n. 8. Dian., p. 1, tr. 8, resolut. 86, et alii apud eundem. Dum e contra circa consiliarios, officiales, et alios annua salaria habentes contraria, ea videlicet cernitur consuetudo, quod morbo etiam diuturniori, vel alias subinde legitime impeditis, quominus debitos ex officio labores peragant, integra annua præbeantur salaria.

10. *Legitime impeditus cessante impedimento illico præstare tenetur debitum.* — Illud tamen universaliter hic observandum cum Vivian. hic, quod, etsi legitime impeditus, quominus faciat, quod ad certum tempus facere debe-

ret, non imputetur ad pœnam vel damnum, tamen cessante impedimento postea debeat id facere, quam citius poterit, arg. c. *Cum dilecti*, 7, de *Dolo et contum.* ubi summarium sic habet: « Citatus ad totam causam certo tempore ad comparandum assignato, tenetur comparere in termino: et dato impedimento in termino, debet comparere quam citius poterit, post terminum; alias condemnabitur in expensis a tempore citationis emissæ. » Hinc non sacerdos adeptus parochiam, etsi legitime impeditus, quominus juxta præscriptum canonum intra annum recipiat ordinem sacerdotalem, non perdat parochiam secundum dicta n. 4. Tamen cessante impedimento eum recipere debet, quam citius poterit.

11. *Fallit regula universaliter, quando impedimentum ex propria culpa contrahitur.* — Quæritur II. An et in quibus regula 41, fallat? Resp. eam juxta Gloss. hic universaliter fallere, primo quando quis sua culpa contrahit impedimentum, vel incidit in casum, propter quem facere non potuit, quod facere tenetur; tunc enim ei imputatur; cum regulariter loquendo quis teneatur de casu, qui sequitur culpam, can. *Sæpe*, 50, dist. et can. *Studeat.* ibid. cum concord. a Glossa citatis.

12. *Intellige, si hæc studio fuit ordinata ad contrahendum impedimentum.* — Verum hanc fallentiam Vivianus hic cum Franc. et aliis merito limitat ad illas duntaxat culpas, quæ verisimiliter studio aut dolo ordinatæ sunt ad casum sinistrum, vel impedimentum incurrendum, prout casus similis habetur in Clement. *Multorum*, 2, §. *Illis, de Pœnis*, ubi reus studio et dolose procuravit, ut detineretur in carcere, ne deberet in judicio comparere; cui impedimentum affectum, et dolose procuratum non profuit, quin pœnas legis incurreret, et pro contumaci haberetur: cum fraus et dolus nulli patrocinari debeant, c. *Ex parte*, 16, de *Rescriptis*.

13. *Secus si ad illud ordinata non fuit.* — Secus de illis culpis, quæ ad impedimentum obtinendum nullatenus ordinatæ apparent: quia secutum ex his, utpote nec affectatum, nec dolose procuratum, impeditum a pœna et damno immunem reddit: ut proin, etsi clericus v. g. sua culpabili intemperantia contrahat infirmitatem, qua impeditur a præstando officio, tamen fructus beneficii percipiat. Idem dic de consiliariis et officialibus ex propria simili culpa, ad impedimentum obtinendum non ordinata, et tamen

illud contrahentibus, arg. c. *Quia diversitatem*, 5, de *Concess. præb.* ubi ob suspensionem pro legitime impedito habetur, « et si fuerit sua culpa suspensus, » juncta l. *Verum*, 39, ff. de *Furtis*, ubi habetur, « eum, qui libidinis causa fores meretricis effregit, » indeque causa fuit, « quod fores ab eo non inducti, sed alias ingressi, meretricis res egerunt, furti non tenent; » quia effractio ostii ad furtum non erat ordinata, cum concord. a Gloss. cit. hic.

14. *Fallit in patrono Ecclesiæ intra tempus debitum præsentare impedito.* — Fallit autem secundo in patrono, qui ob litem super jure patronatus actu durante legitime impeditus intra quadrimestre non præsentat; cum non obstante hujusmodi legitimo impedimento, pro ea vice privetur jure præsentandi, illudque devolvatur ad ordinarium: textu expresso c. *Quoniam*, 3, in fine, et c. *Cum propter*, 27, de *Jur. patron.* quod contra communem Juris Regulam merito statuit Ecclesia favore ecclesiarum, quibus longior beneficii vacatio damnosa, et animabus periculosa censetur, c. *Ne pro defectu*, 41, de *Elect.*

## REGULA XLII

ACCESSORIUM NATURAM SEQUI CONGRUIT PRINCIPALIS.

1. *Regula unde desumpta.* — Famosa, et in præxi sæpe occurrens hæc Regula desumpta habetur ex l. *Nihil dolo*, 129, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Cum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent » et l. *Cum principalis*, 178, ff. eod. ibi: « Cum principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. » cum concordat l. 2, ff. de *Pecul. legato*. ibi: « Nam quæ accessionum locum habent, extinguuntur, cum principales res peremptæ fuerint. »

2. *Quid dicatur principale, quid accessorium.* — Quæritur I. Quomodo Regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem prænotandum, quid per *Principale*, et quid per *Accessorium* intelligatur. Principale ad propositum illud vocatur, quod est præcipuum in re, et quasi causa, seu fundamentum illius, quod accedit. Strein. hic n. 1, vel ut Barb. hic n. 11, vult: *Principale* est, quod per se stat, seu propria sua virtute subsistit: *Accessorium* vero, quod per

se non subsistit, sed vel ex natura rei, vel ex dispositione legis, vel ex partium conventionione dependet ab alio, cui tanquam principali inest, vel accedit, aut comitatur illud. Taccin. hic n. 1.

3. *Accessorium quadrupliciter quid esse potest.* — Observat autem hic Barb. n. 12, quadrupliciter posse aliquid esse accessorium alterius: *Primo*, ut sine illo res principalis nulla, vel inutilis reddatur. *Secundo*, si ita rei inest, ut portio et pars illius reddatur. *Tertio*, quia ex natura rei, vel dispositione legis, vel partium conventionione semper sequitur, et comitatur aliud. *Quarto*, quia ab alio dependet tanquam effectus a causa. His prænotatis.

4. *Regula procedit, sive de inducendo, tollendo, vel confirmando principali agatur.* — Resp. I. Regula intelligenda est, et subsistit sive agatur de principali inducendo, sive tollendo, sive confirmando; semper enim verum manet, quod accessorium sequatur naturam principalis, ita, ut cum hoc etiam illud inducatur, tollatur, et confirmetur: Et quidem de *inducendo* probatur ex c. *Si super gratia*. 9, de *Offic. deleg.* in 6. De *tollendo*, patet ex cit. l. 2, ff. de *Pecul. legat.* ibi: « Nam quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur, cum principales res peremptæ fuerint, » cum concord. a Dyno citatis. De *confirmando* constat ex jam cit. c. *Si super gratia*. 9, de *Officio delegat.* in 6. Hinc

5. *Ponitur verus sensus regulæ. Accessorium sequitur naturam principalis, et quare?* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: « Tanta est dependentia accessorii a principali, ut, regulariter loquendo, inducto, concesso, prohibito, annullato, sublato, vel confirmato principali, inductum, concessum, prohibitum, annullatum, sublato, vel confirmatum etiam censeatur accessorium. » Dicitur, « Regulariter: » conformiter citatæ regulæ 178, ff. de *Reg. jur.* ubi adhibetur terminus *plerumque*; quia, ut infra patebit, regula patitur suas fallentias. Ratio regulæ est, tum, quia accessorium est connexum et adhærens principali: connexorum autem eadem est ratio, idemque iudicium. c. *Translato*. 3, de *Constit.* Tum quia magis dignum trahit ad se minus dignum arg. c. *Quod in dubiis*. 3, de *Consecrat. Eccles.* Principale autem regulariter loquendo est præcipuum, et magis dignum. arg. § *Si quis in aliena*. 34. Instit. de *Rerum divis.* Porro hæc regula valde late patet, ita ut fere ubique procedat,

præsertim in legibus et rescriptis in contractibus, in ultimis voluntatibus, in privilegiis, in matrimonio, etc.

6. *Commissa causa, commissæ censentur requisita ad eam.* — Declaratur regula exemplis juris, et quidem imprimis de legibus, rescriptis ac iudiciis; quando enim alicui delegatur causa, delegata quoque censentur accessoria necessario requisita ad eam, v. g. citatio, contumaciæ declaratio, testium examinatio, etc. c. *Præterea*. 5, de *Offic. deleg.* ibi: « Quia ex eo, quod causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem, » juncto c. *Prudentiam*. 21, ibid. § *Sexta nobis*. ad fin. ibi: « Explorati siquidem juris existit, ut delegatis iudiciis, quibus principale committitur, et accessorium committatur. »

7. *Qui cognoscit de matrimonio, etiam de dote tanquam accessorio cognoscit.* — Sic in specie, quando causa matrimonii delegatur, delegatus de dote quoque, tanquam aliquo accessorio, restituenda cognoscere, et sententiarum valet. c. de *Prudentia*. 3, de *Donat.* inter virum et uxorem. ibi: « Quia agitur vos, qui de Matrimonio principaliter cognovistis, et de dote (quæ est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, et sententialiter definire. » Et universaliter quando aliquid per legem præcipitur vel prohibetur, præcepta quoque, vel prohibita censentur accessoria, id est, ei necessario connexa et adhærentia.

8. *Etiam in privilegiis corrumpente principali, corrumpunt accessoria.* — Sic in privilegiis, quando principale non subsistit, nec accessoria subsistunt. c. *Inter dilectos*. 6, § fin. cum ergo. de *Fide instrum.* ibi: « Cum ergo privilegium Henrici confirmatorium tantum extiterit saltem quoad illa, quæ deducta sunt in iudicium, si principale non tenuit, nec accessorium, quod ex eo, vel ob id dignoscitur esse secutum. »

9. *Vendito prædio venditur etiam aquæductus eidem inexistentis.* — Sic in contractibus, quando venditur prædium, cui inest aquæductus, jus aquæ etiam, et fistulæ, per quas aqua transit, tanquam accessoria vendita, et emptoris esse censentur. l. *Si aquæductus*. 47, ff. de *Contrah. empt.* ibi: « Si aquæductus debeatur prædio, jus aquæ transit ad emptorem, etiamsi nil dictum sit: sicut et ipsæ fistulæ, per quas aqua ducitur. Sic e contra universaliter in omni contractu si principalis obligatio non subsistit, nec fide-

jussoria tanquam accessoria ligat. l. *Si quis*. 37, ff. de *Fidejuss. et mandat.* ibi: « Si quis postquam tempore transacto liberatus est; fidejussorem dederit, fidejussor non tenetur, quoniam erroris fidejussio nulla est. »

10. *Testamentum minus solemne inter liberas vel ad pias causas validas, facit ut valeant etiam legata profana. Invalido existente testamento paterno, invalida etiam est substitutio pupillaris. Legata domo censentur etiam legatus hortus cohærens.* — Sic in testamentis: nam testamentum inter liberos minus solemne validum, valet etiam quoad legata extranea inserta, juxta dicta ei probata lib. III, tit. XXVI, de *Testam.* § 7, a n. 204, sicut etiam testamentum minus solemne, validum tamen ad pias causas, valet quoad legata profana, prout dictum et probatum habetur cit. lib. III, tit. XXVI, § 6, a n. 161, et quidem utrumque ob hanc regulam, videlicet quia accessorium naturam sequi congruit principalis: cujusmodi principale ad propositum est testamentum, et legata sunt accessorium. Ob quam rationem etiam non valet substitutio pupillaris, si invalidum est testamentum paternum. § *Liberis autem*. 5. Instit. de *pupill. substit.* ibi: « Nam pupillare testamentum pars et sequela est paterni testamenti, adeo, ut si patris testamentum non valeat, nec filii quidem valebit. » Dum e contra, quando quis domum legat, cui pro majori commoditate hortus vicinus coemptus existit, legata domo etiam hortus, tanquam quid accessorium, legatus censetur. l. *Prædis*. 91, § 5, ff. de *Legat.* III, ibi: « Qui domum possidebat, hortum vicinum ædibus comparavit, ac postea domum legavit si hortum domus causa comparavit, ut amœniorem domum, et salubriorem possideret, adiutumque in eum per domum habuit, et ædium hortus additamentum fuit, domus legato continebitur. » Plura exempla juris vide apud Gloss. hic.

11. *Fallit regula, quando in principali, et accessorio diversa reperitur ratio. Usuræ juratæ solvi, sed iterum restitui debent.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiat Regula nostra? Resp. Eam in pluribus fallere: et quidem *primò* quando in principali et accessorio non eadem, sed diversa reperitur ratio. Abbas in c. *Debitores*. de *Jurejur.* n. 2. Sanch. lib. VII, de *Matrim. disp.* 29, n. 11. Hinc etsi principalis obligatio solvendi usuras sit nulla, tamen si juramento firmata est, accessorium juramentum servandum erit, tex-

tu expresso c. *Debitores*. 6, de *Jurejur.* ibi: « Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent: si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum. » Ubi tamen subjungitur odiosa usurariis clausula illis verbis: « Et cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad restituendas sunt severitate Ecclesiastica compellendi. » Cur autem accessoria juramenti obligatio observanda sit, est specialis ratio divinæ reverentiæ, quæ servare juramentum compellit, qualis ratio in simplici promissione non reperitur. Sanchez loc. cit.

12. *Testamento invalido inserta legata pia valent.* — Fallit *secundo* quoad pia legata inserta testamento ad causas profanas nulliter facto; quia illa, et si accessoria, valent, licite principale, testamentum videlicet, sit nullum, juxta dicta et probata, lib. III, tit. XXVI, de *Testam.* § 6, n. 161. Idque ob fundamentum n. præced. allegatum; quia nempe in accessorii legatis piis invenitur specialis ratio, religionis videlicet.

13. *Sublato principali non tollitur accessorium, quod se solo potest subsistere.* — Fallit *tertio* in accessorio quod se solo, et independentem a principali potest subsistere, sicque ab eo divisibile est; quamvis enim concessio principali etiam hoc accessorium concessum videatur, tamen sublato principali illud sublato non censetur. Vivianus hic. cum Franch. et aliis, patetque ex ipsa rei natura hoc ipso enim, quod hoc sine illo valeat subsistere, sublato principali accessorium hujusmodi necessario non tollitur.

14. *Soluta quoad thorum matrimonio manet dos apud partem innocentem.* — Fallit *quarto* in casibus, in quibus jura aliter specialiter disponunt: prout fit in casu, quo ob adulterium uxoris, matrimonio tanquam principali quoad thorum sublato, non tollitur dos, sed penes solum virum manet, et si dos accessorium matrimonii sit l. *Cum mulier*. 47, ff. *Soluta matrim.* et c. *Plerumque* 4, de *Donat. inter vir. et uxor.* ibi: « Plerumque si mulier ob causam fornicationis iudicio Ecclesiæ, vel propria voluntate a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non valebit. » Quod tam a canonico, quam civili jure merito specialiter sic statutum habetur in odium adulterii, et favorem conjugis innocentis.

15. *Testamento ob præteritionem existente nullo, valent legata.* — Sic etiam specialiter

sancitum habetur in jure, ut testamento tanquam principali propter exheredationem, vel præteritionem filii nullo declarato, accessoria tamen in illo subsistant legata, et alia. Auth. *Ex causa. C. de Liber. præterit.* ibi: « Ex causa exheredationis, vel præteritionis irritum est testamentum quantum ad institutiones: cætera namque firma manent. »

16. *Fidejussor pupilli obligatur, etsi pupillus non sit obligatus.* — Sic pariter licet alias obligatio fidejussoria sit accessoria, et sublata principali obligatione tollatur per dicta n. 9, tamen ex speciali juris dispositione habetur, quod, etsi pupillus sine auctoritate tutoris contrahens, nec civilem, nec naturalem obligationem servandi contractum habeat, l. *Pupillus. 59, ff. de Oblig. et act.* tamen si in tali casu tertius pro pupillo fidejubeat, fidejussio teneat, et obligatoria existat. l. *Si pupillus. 35, ff. de Arbitr.* cum concord. Quod etiam ideo recte sancitum videtur, quia in tali casu fidejussio censetur inducere obligationem principalem, hoc ipso, quod alia principalis desit; cum pupillus aliquam obligationem, quæ alias principalis foret, neutquam contrahat.

17. *Accessorium sequitur naturam principalis, etsi illud pretiosius sit isto.* — Cæterum quamvis Vivianus hic teneat regulam fallere etiam in casu, quo accessorium nobilius quid et pretiosius est ipso principali; tamen quia hæc doctrina non tantum communis doctorum sed etiam claræ juris dispositioni contraria apparet, ei minime adhaerendum, sed dicendum est regulam procedere etiam tunc, quando accessorium melius quid, nobilius, ac pretiosius est principali l. *Cum aurum. 19, § 13, ff. de Auro et argent. legat.* ibi: « Perveniamus et ad gemmas inclusas auro, argenteoque. Et ait Sabinus auro argenteoque cedere; ei enim cedit, cujus major est species: quod recte expressum; semper enim cum quærimus quid cui cedat, illud spectamus quid cujus rei ornandæ causa adhibetur, ut accessio cedat principali. Cedent igitur gemmæ phialis et lancibus inclusæ auro argenteove. » Ex quo resolves, quod annulus habens inclusam gemmam longe majoris pretii, quam sit ipse annulus, vel vestis habens ornamenta aurea vel argentea pretium vestis longe superantia, si vendatur, donetur, legetur etiam gemma, et ornamenta, quantumvis majoris pretii, vendita, donata vel legata censeantur.

18. *Nisi sit summe arduum, de quo non co-*

*gitasse disponentem præsumitur.* — Limitat tamen non immerito hanc doctrinam et fallere regulam ait Barb. hic. n. 10, si accessorium est summe arduum quid, ut de tali verisimiliter non cogitaverit concedens, donans, legans, disponens, etc.

## REGULA XLIII.

## QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. 2, § *Voluntatem. ff. Solutio matrimonii.* et aliis LL. a Glossa citatis hic.

2. *Ratio difficultatis in regula.* — Quæritur I. Quomodo intelligenda hæc regula, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis secundum sensum grammaticalem facilis appareat hæc regula, in sensu tamen juridico eam explicatu esse difficillimam, fere omnes fateantur; eo quod in jure plurima extent exempla, ex quibus clare patet, eos etiam, qui scienter tacent, non censi consentire. Hinc in ea declaranda mire desudant doctores.

3. *Opinio, quod tacens in favorabilibus, non item in odiosis consentire censeatur, non approbatur.* — Barbosa hic. n. 9, allegat ingentem doctorum classicorum numerum dicentium: Regulam cum subsequenti distinctione esse intelligendam, « qui tacet, in favorabilibus consentire videtur: qui vero in præjudicialibus vel odiosis tacet, consentire non videtur; » quam doctrinam licet magis communem, immo vulgarem esse vere asserat, et pro illa etiam Glossam variis in locis citet: tamen eam non approbat, sed improbat ex illo vero fundamento; quia in jure valde multa reperire est exempla, vi quorum tacens etiam in præjudicialibus pro vere consentiente habetur. Nos sedulo perlectis, et bene consideratis tam doctorum rationibus, quam juris exemplis, arbitramur, securiorem et faciliorem regulæ explicationem, seu declarationem esse sequentem.

4. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus et genuinus regulæ sensus videtur iste: « Qui tacet, in favorabilibus consentire videtur: qui vero in præjudicialibus tacet, tunc consentire videtur, quando contradicendo, vel expresse dissentiendo facile potest impedire id, de quo agitur, et in contrarium nulla conjectura apparet. » Prima pars hujus sensus, videlicet quod tacens in favorabilibus consentire videatur, pene omni controversia

caret; cum fere omnes doctores consentiant; quia in dubio ordinarie merito præsumuntur ea, ad quæ nos naturalis ducit affectio et propensio, arg. c. 2, de *Præscript.*, et l. *Isti. 8, § fin., ff. Quod metus caus. gest.* Hinc bene observat hic Strein. n. 3, nullum tam hebetem censi debere, ut commoda, grata, amica, utilia, etc., respuat, si offeruntur, donantur, legantur, cum hæc a natura quisque appetat, quærat, et acceptet: « Omnes enim expetimus utilitatem, et ad eam sapimur. » Cicero, lib. III, de *Offic.*, consequenter si nobis offeruntur, tacendo acceptare merito censemur.

5. *Tacens etiam in odiosis consentire videtur, si contradicendo impedire potest.* — Altera pars, quod etiam in præjudicialibus, et odiosis tacens consentire videatur, si contradicendo, vel dissentiendo illa impedire posset juxta Dymum hic. n. 1, infallibilis, consequenter utraque pars vera est, arg. l. 2, § *Voluntatem. ff. Solutio matrimonii.* ibi: « Nisi evidenter contradicatur, videtur consentire, » et c. 2, de *his, quæ fiunt a prælat.*, ubi ex eo solo capitulum pro consentiente habetur, quia non contradixit: « Si sciente, et non contradicente conventa facta est, robor firmum debet habere, » cum concord. et ratio est; quia, ut bene argumentatur Barb., hic. n. 3, quando quis præsens scit rem fieri, vel peti, et tacet, dum facile contradicere potest, sua taciturnitate facit, quod de jure merito præsumatur idem sentire: ut proin tacitus illius consensus non in fictione, sed præsumptione juris fundetur, nisi adsit contraria conjectura, ex verbis, vel saltem ex nutu, aut aliis signis apparens; quia etiam nutu, vel gestu contraria voluntas ostenditur, l. *Si tamen. 48, § Ei qui, ff. de Edict. edict.*, l. *Non tantum verbis, 5, pr., ff. Ratam rem haberi, cum concord.*

6. *Declaratur exemplis; servus sciente et tacente domino ordinatus liber evadit.* — Declaratur et firmatur amplius exemplis juris. Sic enim imprimis licet servum amittere res domino sit præjudiciosa; si tamen eo sciente, et non contradicente ordinatur, ordinatio valet, servus liber evadit, et dominus illum amittit can. *Si servus sciente, 20, dist. 54,* ibi: « Si servus sciente, et non contradicente domino, in clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso, quod constitutus est, liber et ingenuus erit. »

7. *Sponsalia nomine filie scientis et tacentis contracta valent.* — Secundo, si filia sciens,

patrem sibi certam dotem constituere, tacet, et non contradicit, consentire præsumitur, etsi dos forsitan incompetens, sicque ei præjudiciosa sit, cit. l. 2, § *Voluntatem, ff. Solutio matrimonii.*, ibi: « Nisi evidenter contradicatur. »

Sic pariter *tertio*: si parentes pro filiis, vel filiabus præsentibus et non contradicentibus sponsalia vel matrimonium contrahunt, valent sponsalia et matrimonium, et si forsitan prolihus odiosa; quia non contradixerunt, cum facile potuissent, dicendo v. g. nolo nubere, nolo hunc, vel hanc c. un. § *fin. de Despons. impub.*, in 6, ibi: « Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentibus fuerint, nec contradixerint, obligantur. »

8. *Quarto, qui criminaliter inquisitus crimina sua confessus est, non potest excipere, quod infamia non præcesserit; quia prius non contradicendo tacite consensit, c. 2, de Accusat., in 6.*

5. *Quinto, si tutor a quem pro fidejussore nominat, isque præsens non contradicit, sed nomen suum actis inseri permittit, consensus præsumitur, etsi illi præjudiciosum sit l. 4, § fin., ff. de Fidejuss. et nominat., ibi: « Fidejussores a tutoribus nominati si præsentibus fuerint, et non contradixerint, et nomina sua referri in acta publica passi sunt, æquum est, perinde teneri, atque si jure legitimo stipulato interposita fuisset. »*

9. *Alienatio rei ecclesiasticæ sciente et tacente capitulo valet.* — Sexto, rei Ecclesiæ locatio, vel alienatio, ad quam de jure requiritur consensus capituli, si hoc sciente, et non contradicente facta est, valet; quia ex taciturnitate capituli, quod contradicere posset, consensus illius præsumitur, per textum, c. 2, de *his, quæ fiunt a prælat.*

10. *Superiores scientes et tacentes ad defectus subditorum consentire videntur.* — Septimo, superiores qui graves subditorum defectus sciunt, et, cum possent, non contradicunt, non corrigunt, non puniunt, etc., consentire videntur in grave communitatis præjudicium, can. *Error. 3, dist. 83,* ibi: « Error, cui non resistitur, approbatur, et veritas, quæ minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nil aliud est, quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare; » juncto can. *Consentire, 5, dist. 83.* « Consentire videtur